UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè peragendi, & per ea salutem& perfectionem propriam, ac proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi

De crebrâ per diem mentis in Deum elevatione ex omnibus, quæ per sensus attinguntur, animæque potentiis se objiciunt

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

Hortulani.

Nutzungsbedingungen

urn:nbn:de:hbz:466:1-54773

Visual Library

& tales ſæpè nanciſci potes in urbibus, in quibus Mercenarium habere non potes niſi à Magiſtro tribûs conſtitutum. *Breves dies hominis, donec optata veniat, ſicut Mercenarii dies ejus,* Job. 14. In quo mercedem à Deo accipiet. *Quanti Mercenarii in domo Patris mei abundant panibus. Ego autem hic fame pereo.* Luc. 15. Religioſi non debent eſſe Mercenarii hoc ſenſu, Quòd ob temporale quid Deo ſerviant. Sed hoc ſenſu, quòd mercentur cælum. Et reſpectu talium multi nobiles, divites cum filio prodigo carnalibus vitiis dediti, quæ ſunt porcorum ſiliquæ, jure ad Deum Patrem clamare poſſunt. *Fac me unum de Mercenariis tuis, qui abundant panibus.* Adeoque non tantùm habent pro vita ſuſtentanda neceſſaria, ſed ultra. Interim ſic Deus remunerat ſervos ſuos etiam in hac vita.

Hortulani.

ILla (Magdalena) *exiſtimans quia Hortulanus eſſet* (Chriſtus) *dicit ei Domine, &c.* Joan. 20. Innocentes & ſimplices Profeſſiones ſunt per ſe loquendo. Quarum figuras ſibi adoptavit aut applicavit Chriſtus, ut Hortulani ac Paſtoris. In quolibet horto occurrere tibi poteſt Chriſtus in horto Gethſemani captus, & paradiſus hortus voluptatis, ex quo peccatum ejecit humanum genus.

Molitores.

PHiliſtæi Samſonem excœcatum *molere fecerunt* Jud. 16. Eò devenit homo tot à Deo ſingu-